

tionem Solis accipe una cum differētia & titulis earundem. Duc deinceps residuum argumenti in tabulam non missum in totam differentiam, partem cōstituendo proportionalem, quā addere aut subtrahere oportet æquationi præinuentæ secundum exigentiam tituli, ut æquatio profiliat æquata. Hanc itaq; ultimatim addas medio motui Solis concordante titulo, uel ab ipso rescindas, si titulus idem præceperit, & illud quod remanet, certissimum indicat punctum zodiaci primi mobilis, sub quo centraliter Sol residet tempore assignato. Sit exempli causa medius motus Solis ad tempus quo supra inuentus 0 sig. 22 gra. 28 minu. 17 secund. per primā propositionem. Aux uero eiusdem 3 sig. 1 gra. 11 minu. 55 secund. per se cūdam, qua subtracta de medio solis motu, argumentum eius relinquatur 9 sig. 21 gra. 16 minu. 22 secund. quo mediante de tabula æquationum Solis 1 gra. 59 minu. 41 secund. æquatio illa inuenitur. Angulus enim communis compertus per 9 sig. in calce tabulæ posita, & 21 gra. ascendendo in linea numeri eam representat cum additionis titulo. Eodem modo 49. secunda loco differentię adducit cum titulo defalcationis, quæ per residuū argumenti in tabulam non missum puta 16 minu. 22 secund. multiplicata, partem hanc gignit proportionalem 13 secund. 22 tert. qua dempta de præinuenta æquatione, pro ut titulus admonet differentialis, remanebit æquatio æquata 1 gra. 59 minu. 28 secund. fere, quæ si finaliter medio Solis motui præfato fuerit adiecta, uerum locum Solis ostendit in zodiaco 0 sig. 24 gra. 27 minu. 45 secund. ad tempus propositum, diebus tamen non æquatis.

De uero motu Lunæ. Propositio XI.

PVnctum zodiaci certum sub quo Luna directe quolibet tempore constituat per scrutare. Inquirantur per primam, medius motus Lunæ pro assignato tempore, atq; eius argumentum medium. Similiter & cētrum ipsius per 5 ad idem tempus, illis etenim mediantibus, locus uerus Lunæ inuestigatur, ut autem progressus noster distinctior habeatur. Scias te per cētrum Lunæ duo quærere debere, æquationem scilicet centri, & minuta proportionalia. Tottidemq; per argumentum, uidelicet argumenti æquationem & diuersitatem diametri circuli breuis. Nec illud te lateat generale, ut quicquid de tabula æquationum fuerit extractum, per partem proportionalem semper fore æquandum, nisi differentia esset nulla, aut denominationes omnes post gradus ipsos de numero in tabulā mittendarum minutiarum uacarent, tūc nanq; pars proportionalis penitus frustra attemptaret. Quicquid em̄ angulus cōmunis tali introitu factō cōmonstraret, cū actu æquatū sit, ulteriori æquatiōe nō egeret. Scribe ergo unūquodq; præinuentum seorsum & serua ad partem. Quo factō, cum centro Lunæ medio tabulam æquationum Lunæ ingredi, signa quærendo in capite, uel calce. Gradus uero in lineis numeri, & accipe quod in directo eius in ueneris de æquatione centri, & circa ipsam, titulorum denominationē scilicet